AUTHOR:

KRAFT, FRIEDRICH KARL

TITLE:

PRAEMISSA EST DUORUM LOCORUM...

PLACE:

HAMBURGI

DATE:

1828

Master Negative #

91-80313-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books      FUL/BIB   NYCG91-B84963          Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
 ID:NYCG91-B84963    RTYP:a    ST:p   FRN:     MS:      EL:          AD:09-27-91
 CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?   MOD:     SNR:     ATC:         UD:09-27-91
 CP:nyu     L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?    FIC:?    CON:???
 PC:r      PD:1991/1828       REP:?   CPI:?    FSI:?    ILC:????  MEI:?   II:?
 MMD:       OR:    POL:    DM:     RR:         COL:     EML:      GEN:   BSE:
 040      NNC‡cNNC
 100 10   Kraft, Friedrich Karl.
 245 10   Praemissa est duorum locorum Horatianorum explicatio‡h[microform].
 260 0    Hamburgi,‡bTypis excudit Joannes Augustus Meissner,‡c1828
 300      17 p.
 LDG      ORIG
 QD       09-27-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM REDUCTION RATIO: 11

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M.B.


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Nr. 2 6.67.12.104

2

Ad

PUBLICAM EXPLORATIONEM

PROGRESSUUM,

Quos Discipuli Primae Classis,

in Academiam discessuri,

in optimis literis artibusque

fecerunt,

Die XX. Mart. MDCCCXXVIII.

In Auditorio Maiore Joannei Hamburgensis

instituendam

Invitat

FRIDERICUS CAROLUS KRAFT,

Joannei Hamburgensis, Director et Professor, Philosophiae Doctor,

Artium Liberalium Magister, Societatis Latinae Jenensis

Sodalis Honorarius.

Praemissa est duorum locorum Horatianorum explicatio.

HAMBURGI, 1828.

Typis excudit Joannes Augustus Meissner, Amplissimi Senatus, Gymnasii et Joannei Typographus.

1828.

Recte ac sapienter maiores nostri quum multa alia, tum hoc instituisse et praecepisse videntur, ut iuvenibus, qui scholastica disciplina ad omnem humanitatem informarentur, praeter solutae orationis scriptores, quos praestantissimos tulit Latium doctum, praelegerentur atque explanarentur quoque poëtarum carmina, quibus non facile pulchriora numerisque suis absolutiora vidit postera aetas, eruditae antiquitatis exempla non sine laude aemulans et prope ad optimum quemque veterum scriptorum accedens. Nam quis tandem reperietur, qui tanta sit dicendi facultate, ut, quum multa in poëtis illis celebratissimis laudaverit, non plura omisisse videatur? Tot ac tantae enim veneres, tam crebra et praeclara in eorum poëmatis splendent lumina, ea porro excellunt orationis gravitate, eo verborum delectu et concinnitate, ea sententiarum gravitate, utilitate et varietate, ea denique numerorum apta compositione ac dulcedine commendantur animosque legentium tam mirifice permulcent atque deliniunt, ut dubium esse possit, plusne prodesse an oblectare voluerint homines illi ingeniosissimi. Tantum vero abest, ut lectio poëtarum noceat orationis bonitati, ut plurimum ad eam augendam ornandamque conferat et bene nos numeroseque loqui doceat. Quod si cui minus vere dictum videatur, ab eo petimus et quaesumus, ut circumspiciat et quaerat, qui maxime dicendi laude floruerint. Nonne eloquentissimos homines in veterum poëtarum lectione multum temporis consumsisse accepimus? nonne in deliciis eorum carmina habebant et diurna nocturnaque manu versabant?

Longum est, enumerare hoc loco, qui profecti a diligenti Romanorum poëtarum tractatione multum profecerint in latine scribendi arte. Unum tamen qui omnium instar esse potest, silentio praetermittere non possum, *Marcum Antonium Muretum*, felicissimum omnium, quicunque in eo genere studiorum elaborarunt, Romanorum scriptorum imitatorem, ne dicam aemulatorem. Qui quidem vir doctissimus atque elegantissimus, non tam primoribus labris, ut dicitur, Romanorum poëtarum carmina gustavit, quam constanti et assiduo studio in iis lectitandis versatus est et divina illa carmina tota fecit sua animoque infixa tenuit. At tanto poëtarum admiratori nihil obfuit poëticum studium neque elevavit orationis elegantiam, qua Muretum fere unum omnium maxime excelluisse, tam notum est tamque certum testatumque, ut qui pluribus id docere velit, rem minime dubiam demonstrare videri possit

Merito igitur ad dicendi facultatem iuvandam augendamque commendandi sunt iuvenibus nostris Romani poëtae, quippe qui, quum discesseris ab illa orationis laude, in eo etiam multum prosint legentibus, quod praeclaris sententiis et salubribus vitae praeceptis, quibus carmina eorum abundant, teneros animos verae laudis omnisque virtutis amore incendant et ad honestas actiones impellant. Verum enim vero in quem alium poëtarum, quotquot unquam protulit Roma, maiore id cadere possit iure, quam in Venusinum vatem, ingenio vere poëtico ita praecellentem, ut facile princeps omnium dici haberique possit, quos mansuetioribus Musis operam dedisse et limpido Aganippes rore imbutos fuisse scimus? Unde non mirum, quod Horatii carmina inde ab iis temporibus, ubi tristi barbarie expulsa et spissis ignorantiae superstitionisque tenebris discussis, alma lux melioris intelligentiae fulgere coepit et humanitas post diuturnum exsilium revocata est, assidue ac studiose legerunt et prae ceteris admirati sunt, quicunque sensu veri, recti venustique non alieni essent. Nec pueri solum in scholarum umbra et angustiis illa carmina manibus terebant, non magistri tantum in iis legendis versabantur, sed viri quoque, quidquid otii a publicis negotiis administrandis rebusque gerendis relictum esset, id cupide tribuebant lectioni praestantissimi poëtae, quem nascentem Melpomene placido lumine viderat. Neque illud mirandum est, carmina Horatiana, quum totidem nanciscerentur admiratores, quot lectores, multorum Grammaticorum cura, studio, opera, doctrina excussa, illustrata atque explanata esse. Nam ex omnibus, qui e communi optimarum literarum naufragio servati sunt, scriptoribus Latinis Horatius longe plurimos invenit interpretes, qui modo orationem quam emendatissimam reddere, modo verba et sententias poëtae aliqua difficultate vel obscuritate laborantes explicare studerent. Etiam nostra aetate multi et egregii Grammatici de emendandis illustrandisque carminibus Horatianis optime meriti sunt, ita ut post tot eruditissimorum et sagacissimorum virorum curas et operam vix aliquid superesse posse videatur, quod nondum actum, transactum profligatumque sit. Sed nihilo minus, qui elegantissimum illum poëtam attente legit, nec veloci oculo eius poëmata percurrit, haud raro in eiusmodi locos incidet, qui nondum satis expediti atque illustrati lucem desiderant

Quae quum ita sint, neque supervacaneum, neque inutile esse arbitror, duos locos Horatianos ex numero eorum, qui mihi quidem paulo impeditiores videntur, quantum et per temporis angustias, quibus nunc me valde conclusum sentio, et per virium modum, quem exiguum esse non ignoro, fieri poterit, hoc in libello accuratius tractare atque explanare Qui fortasse leviora quaedam in eo inveniant, ii velim cogitent, me non tam viris doctis quam nostrae disciplinae alumnis scripsisse, qui inde discant, qua diligentia in tractandis poëtis versandum sit, ut nihil praetermittatur, quod non intellectum exploratumque sit.

Ac primus quidem locus, quem expediendum nobis sumsimus, legitur Horat. Odd. L. III. c. XIV., 10 sqq.

Vos o pueri et puellae,
Iam virum expertae, male ominatis
Parcite verbis.

Qui quidem versus mirum in modum torserunt interpretes. Poëta autem noster, ut paucis de argumento carminis exponamus, laetitia ob felicem Augusti, quem paulo ante mortem in Hispania occubuisse rumor fuerat, in patriam reditum elatus, primum Liviam imperatoris reducis coniugem, hortatur, ut debitas diis benignis gratias persolvat et vota pro mariti salute ante facta reddat. Tum Octaviam, Augusti sororem, reliquasque nobiles

matronas ducere iubet sollemnem pompam et supplicationem habere in templis immortalium deorum, propterea quod salvi et incolumes ex bello redissent sui, quorum vitae adhuc sollicitae timuissent. Haec quidem omnia ita plana et expedita sunt, ut de verborum sententia ambigi non possit. Verum obscuriora sunt, quae sequuntur:

Vos o pueri et puellae,
Iam virum expertae, male ominatis
Parcite verbis.

Nam qui tandem sunt illi pueri, quae puellae istae virum iam expertae, quas Horatius verbis male ominatis parcere, i. e. abstinere vult? Non uno modo hanc difficultatem removere conati sunt interpretes. Multis offensioni fuit tautologia quaedam, quam inesse putant in verbis: virginum iuvenumque matres, si puellae virum iam expertae item de mulieribus nuptis intelligantur. Quam tautologiam ut tollamus, cogitandum est de matronis, i. e. matribus eorum, qui sospites ex Hispania redibant et de coniugibus adolescentulis[1]), quarum mariti cum Augusto in bellum profecti erant. *Pueri* autem cogitandi sunt filii militum, quos secum princeps in Hispaniam abduxerat. Quae tamen interpretandi ratio plerisque displicuit ac nimis vaga et incerta visa est. Et quum locum multi Critici non sanum esse existimarent, ad correctionem vulgatae scripturae confugiendum putarunt. Omissis tamen coniecturis, quae levioris momenti esse videntur, subsistam in commemoratione paucarum. Primo quidem loco ponenda est Cuninghamii, Britanni, coniectura, quae eam prae se fert probabilitatis speciem, ut fere omnes, qui postea hunc locum tractarunt, ipsam amplexi sint et inter ipsa verba Horatii receperint. Correxit autem vir ille doctus et saepe in arte critica exercenda haud infelix, locum Horatianum hoc modo:

Vos o pueri et puellae,
Iam virûm expertes etc.

---

1) Subst. *virgo*, ut Graec. παρθένος, non raro apud Latinos scriptores ponitur de integrae ac viridis aetatis feminis, quae cum viris iam consueverunt. Ita apud Virg. Ecl. VI, 47. appellatur Pasiphaë, Minoi nupta et iam trium filiorum parens, *virgo infelix*. Dicuntur etiam Horatio II, 8, 22. mulieres *virgines nuper nuptae*.

Quae quidem verba referre solent interpretes ad pueros et puellas, quibus in re sacra facienda certae datae erant partes[2]). Notum etiam est, in sacris nefas fuisse, infausta iacere verba, vel omnino turbare institutam rem divinam[3]). At quaerere possit quispiam, num h. l. necessario cogitandum sit de choro puerorum et puellarum, qualis sistitur in carmine saeculari. Nonne probabilius est, ab Horatio dici supplicationem a matronis in templis deorum instituendam? Deinde non recte intelligitur, quid sibi velit particula *iam;* abundare ea adeoque inepta videri possit, si cogitamus puellas innuptas. Nam dicendum potius fuisset: *puellae virum nondum expertae.* Quare Bentleius, sentiens huius interpretationis ineptiam, non male coniecit:

Vos o pueri et puellae
Non virum expertae etc.

Ipse tamen vir sagacissimus intellexisse videtur, invitis omnibus libris vetustis vulgatam scripturam non sollicitandam esse incerta coniectura, neque ausus est, illam correctionem reponere loco receptae lectionis. Nolim tamen cum Janio, qui saepe iusto acrius et iniquius vituperat Bentleianas coniecturas, illam scripturam duram dicere atque indoctam. Quis est enim, qui neget, verum vidisse virum ingeniosissimum?

Sanadonus Francogallus, satis idoneus et venustus Horatii interpres, secutus Cuninghamii correctionem, puellas virûm expertes esse vult mulieres, quae per bellum Cantabricum orbatae fuissent maritis suis, quas poëta nolit huius diei festam laetitiam luctu et lacrimis profanare. Quae quidem sententia per se non incommoda esset, si recte conciliari posset cum significatu verborum. Nec Mitscherlichius dubitavit, hanc Sanadoni interpretationem amplecti eamque verissimam esse affirmat, quidquid interpretes contra moveant. At salva dignitate et auctoritate tantorum virorum

---

2) Cfr. Carm. saecul. v. 6. *Virgines lectae puerique casti* commemorantur, a quibus carmen diis canendum sit. Et Odd. I, 21, 1 sq. *Dianam tenerae dicite virgines: intonsum pueri dicite Cynthium;* Odd. III. 1, 2 sqq. *Carmina non prius audita Musarum sacerdos, virginibus puerisque canto.* vid. Bentl. ad nostrum locum.

3) Vid. supr. III, 1, 1 sq. *Odi profanum vulgus et arceo; favete linguis!* Quae fuit sollemnis formula eorum, qui sacris operaturi erant, ut Graec. εὐφημεῖτε. Facit

persuadere nobis non possumus, verba Horatiana necessario ita esse intelligenda. Nam quo pacto patribus orbati pueri latine dici possint *pueri virùm expertes?* ubi *patres* et *viri* promiscue ponuntur? Deinde vereor, ne puellae virorum expertes recte intelligi possint de coniugibus per belli furorem maritis suis orbatis. Potius interpretandae essent puellae virorum expertes de puellis, quae adhuc consuetudine maritorum caruissent. Talesne autem commode nostro loco cogitatione fingi possunt?

Aliam viam ingressus est Doeringius, qua locum impeditum servata vulgata scriptura expediret. „Vos ipsi, (ponam Doeringii verba) o iuvenes mariti et nuptae puellae, ne amplius iacite male ominata ista verba, quibus ruptum iri tristi bello vestrum coniugium augurabimini; imo (hoc enim inde elici debet) in pristinam amoris mutui felicitatem nunc restituti bona verba facite.“ Iam quidem non negamus, hanc interpretandi rationem ferri posse, certe praeferendam esse aliis aliorum interpretum opinionibus: tamen si accuratius locum examinaverimus, facile apparebit, eam non omni ex parte probari posse. Laudandus est autem vir doctissimus et in sollicitanda vulgata scriptura cautus, quod omissa Cuninghamii coniectura retinuit veterum librorum lectionem. Nam in tam constanti librorum consensu vix credibile est, genuinam scripturam esse: *virùm expertes.* Neque invenusti parumve decori aliquid inest in illa dictione: *virum expertae*, quod facile videbunt, quicunque non hospites sunt atque peregrini in veterum poëtarum carminibus.

Mihi vero Horatiana verba diligentius legenti animoque reputanti ita visum est, esse nostro loco quandam oppositionem. Primum enim commemorantur matres virginum iuvenumque nuper sospitum, i. e. matres, quarum vel filiae nuptae viris cum Augusto in Hispaniam profectis, post salvum maritorum reditum et ipsae sibi salvae esse videbantur, vel filii cum exercitu victore incolumes in patriam reversi erant et matribus suis restituti.

---

huc locus Senecae de vit. beat. 26 extr. „*Hoc verbum (favete) non ut plerique existimant, a favore trahitur, sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum nulla voce mala obstrepente.*“ Similiter Cic. de div. I, 45. *Rebus divinis, quae publice fierent, ut faverent linguis, imperabatur.* Cfr. Virg. Aen. V. 71 sqq. Ovid. Trist. V, 5, 5 sqq. Tibull. II, 2, 1 sqq.

Quas matres felices votorumque suorum compotes factas hortatur poëta, ut pro tanto beneficio iustas diis immortalibus persolvant gratias. Deinde Horatius, timens, ne male ominatis, infaustis impiisque dictis supplicationis sanctitas atque in deos ipsumque Augustum pietas violetur, vetat quum filios eorum, qui in acie ceciderant, tum adolescentulas uxores, quarum mariti ex hostili terra non reversi fuerant, ne tristibus querelis dirisve imprecationibus in auctorem calamitatis suae iactatis profanent turbentque rei sacrae faciendae sollemnitatem ac religionem. Hac quidem ratione, si quid video, sensus efficitur commodus, nec verborum significatus claudicat totiusque loci sententia bene cohaeret.

In Doeringiana explanatione ingeniosa quidem illa atque facili possit aliquem offendere, quod bis quodam modo mentio fit eorum, qui salvi ex bello redierant. Nam primum commemorantur sospites iuvenes i. e. milites salvi ex acie reversi; tum pueri, quos alloquitur poëta, iidem cogitandi essent, qui restituti coniugibus suis adolescentulis iubentur, ne amplius male ominata verba iaciant. At si salvi et incolumes redierant, non opus erat, eos eorumque uxores hortari, ut male ominatis verbis abstinerent. Vel non admonita utraque pars suorum salute gaudens, laetas piasque edebat voces. Multi autem, qui cum Augusto discesserant, in patriam non reversi a suis desiderabantur, et horum tam filii (pueri), quam filiae vel uxores (puellae iam virum expertae) monendae erant, ne infaustis profanisque querelis obstreperent caerimoniis. Deinde mihi non satis probabile est, Horatium allocutum esse nostro loco cum uxoribus redeuntium militum ipsos maritos. Hi quidem, ut videtur, urbem nondum ingressi erant, sed exspectabatur adventus exercitus cum Augusto per urbem triumphum acturi.

Sensus autem loci vexati, inde a v. 5—12 possit fere hunc in modum constitui: Tu, o Livia, praestantissimi ducis uxor, tuque Octavia, optimi fratris soror, benignis diis gratias acturae et pia vota ante pro felici Augusti reditu suscepta persoluturae, cum matronis Romanis, quarum filii salvi ex bello redeunt, sollemnem ducite pompam in templa deorum et supplicationem habete ad eorum pulvinaria. Vos autem o filii, quorum patres hostili in terra mortem obierunt, vosque adolescentulae uxores, quarum mariti domum non reversi sunt, nolite querimoniis dirisve imprecationibus in au-

ctorem calamitatis vestrae iactatis rem sacram profanare ac violare publicamque laetitiam ob felicem Caesaris reditum turbare. Ita si locum Horatianum interpretamur, omnia, opinor, recte ac bene se habent, nec confugiendum est ad Cuninghamii correctionem, quae quamquam per se satis commoda est et facilis, tamen habet aliquid duri, sive puellas virûm expertes intelligas puellas innuptas, sive uxores adolescentulas maritis suis orbatas.

Sed perveniendum est ad alterum locum, quem nobis hoc in libello illustrandum elegimus. Legitur autem Odarum Lib. III., 24, 5 sqq. Poëtae nostro hoc in carmine, quod merito in praestantissimis ingenii Horatiani speciminibus numerari potest, id propositum erat, ut iusto et nobili quodam dolore incensus primum perstringeret aetatis suae mores corruptos, maxime insanam luxuriam âtque impotentem avaritiam, qua prisca Romanorum virtus omnis expulsa obsoleverat. Deinde docet, quanto felicius rectiusque vivant populi barbari vitae frugali et severae assueti. Tum hortatur optimum quemque civium suorum, ut patriae labanti succurrat et semina elementaque malorum, quibus respublica Romana laboret, funditus tollat et inprimis pueros severioribus studiis innocentiaeque morum assuefaciat. Initio autem carminis, quod haud iniuria vere Romanum dixeris, quippe quod ipse Horatius invenit neque alienum exemplar secutus est suisque civibus scripsit, sententiam illam poëtae nostro familiarem[4]) eamque pro ea, qua est, beatae quadam copiae felicitate nova ratione exornat: neminem mortalium, licet divitiis opibusque affluat et auctoritate longe plurimum valeat, moriendi necessitate liberatum esse et serius ocius diem obire supremum. Plane lyrica ratione ac graviter eam sententiam exsequitur:

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae,
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum.

Cur Arabiae Indiaeque divitias commemorarit, quum imaginem hominis ditissimi lectori quam vividissime ob oculos ponere vellet, non

4) Cfr, Horat. I, 4, 13. II, 3, 25. II, 13, 10 sqq. II, 18, 52. III, 1, 14 sqq. Sat. II, 6, 95.

eget longa disputatione. Nam terrarum illarum opes tantae ac tam magnificae apud veteres celebrabantur, ut in proverbii consuetudinem venirent, ut Croesi, Lydorum regis, divitiae. Deinde eandem notionem auget exaggeratque facta mentione aedificiorum, quae beatiores Romani, terrae continentis quasi pertaesi, in ipso mari, insanis substructionibus in profundum demissis, exstruebant[5]). Eiusmodi superstructionum molibus qui non partem vicini maris, sed totum mare Apulicum et Tyrrhenum occupare poterat, is profecto longe omnium ditissimus esset necesse erat. Sed ne hunc quidem tantarum rerum dominum effugere posse instantem mortem, pro certo affirmat Horatius, idque plane poëtico et vere Pindarico more dicit:

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.

Sententia in universum non obscura est: nam demtis poëticis ornamentis atque involucris, nuda simplexque sententia haec est: fatalem necessitatem s. moriendi necessitatem, quae longe maximam habeat vim in rebus omnibus subvertendis, ne potentissimi quidem atque opulentissimi homines effugere possunt At quamquam hoc certum est minimeque dubium, tamen, si singula verba persequimur, magnam difficultatem movebunt illa: *si figit adamantinos summis verticibus dira Necessitas clavos.* Clavi adamantini sunt clavi ferrei: Graecis enim poëtis ferrum dicebatur ἀδαμάς, ut durissimum metalli genus indicarent. Simillimus locus et simillima Necessitatis imago legitur supra I, 35, 17 sqq.

5) Hanc insanam divitum Romanorum luxuriam carpit Horat. supr. III, 1, 33 sqq. *Contracta pisces aequora sentiunt iactis in altum molibus* etc. etiam II, 15, 1 sqq. Sen. Ep. 89. *Nunc vobiscum loquor, quorum aeque spatiose luxuria quam illorum avaritia diffunditur. Vobis dico; quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant? nullum flumen, cuius non ripas aedificia praetereant? Ubicunque in aliquem sinum litus curvabitur, vos protinus fundamenta iacietis, nec contenti solo, nisi quod manu feceritis, maria agetis introrsus etc.* Cfr. Heyne ad Virg. Aen. IX, 711.

Te semper anteit saeva Necessitas
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aëna, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.

Clavi autem trabales significant clavos quam maximam alligandi, vinciendi continendique vim habentes. Iam firmissimos illos clavos fingitur Necessitas figere summis verticibus. Sed quinam sint illi vertices summi, magna est quaestio. His in vocabulis explicandis variae sunt doctorum hominum atque discrepantes sententiae. Ac plerique veterum interpretum summos illos vertices intelligendos esse putabant de capitibus hominum, quibus Necessitas ista dira infigat clavos suos ferreos, ita ut effugere mortem non possint. At quis possit sibi persuadere, tam foedam tamque horribilem Necessitatis imaginem ab Horatio, homine elegante et sensu venusti decorique mirifice excellente, consulto propositam fuisse? Nonne haberemus Necessitatem istam carnificinam quandam, quae vultu torvo atque immoto validos suos clavos in capita humana adigeret? Sed ponamus, poëtam voluisse talem depingere Necessitatem: quo tandem pacto recte se habere possint, quae sequuntur? "Non animum metu, non mortis laqueis expedies caput." Nam profecto homo iste, cui clavi ferrei per caput adacti sunt, neque metum sentiet animo, neque mortis laqueos. Tam incommodam vero sententiam quis velit obtrudere Horatio? Accedit, quod veteres Graeci eorumque aemulatores Romani tam foedam mortis imaginem sibi non fingebant: postera demum aetate excogitata est tristissima illa et gelidum horrorem incutiens mortis imago.[6]) Denique confundere videntur illi interpretes Necessitatem cum ipsa morte; sed perperam utraque commutatur. Necessitas est causa quidem mortis, neque vero mors ipsa; tanquam perpetua comes mortis fingitur Necessitas.

Alii, quorum agmen ducit Dacierius, doctus et elegans ille veterum scriptorum interpres, leniorem interpretandi rationem proposuerunt et summos illos vertices esse voluerunt culmina villarum in mari exstructarum.

---

[6]) Vdr. docta et elegans dissertat. Lessingii; *Wie die Alten den Tod gebildet,* Lessings Werke, Bd. 5. S. 75 sqq. neuste Ausg. Berl. 1825. 12.

Ex horum interpretum opinione hic fere esset loci sensus: Licet sis ditissimus teque abdideris in villas in ipso mari exstructas, tamen non effugies mortem, si Necessitas earum culminibus clavos suos infixerit. At facile intelligitur, nec hanc interpretationem probari posse ei, qui locum nostrum paulo accuratius examinaverit. Nam quo tandem pacto ex clavis villarum culminibus infixis consequitur, moriendum esse ei, qui habitet in villis?

Janius, cuius merita in Horatianis carminibus lyricis explanandis haud contemnenda sunt, priorum interpretum opiniones reprobans summos vertices interpretatur „res excelsas, earum culmina s. apices, quibus fortuna magna et excelsa declaretur. Eius in ipso fastigio figit Necessitas clavos, dum vim suam immutabilem et ineluctabilem in eam exercet atque exserit." Pauci, opinor, huic Janii explanationi astipulabuntur: sensus enim, quem tribuit verbis Horatianis, parum commodus est ac paene languidus. Bentleius, bene sentiens, et antiquiorum Grammaticorum, et Dacierii interpretationem non satis aptam esse, adeoque salse eam ridens, sensui loci vexati non modo alia interpretandi ratione, sed etiam correctione subveniendum putavit. Mutavit enim particulam *si* in *sic* et verba: *sic figit adamantinos summis verticibus dira Necessitas clavos,* parenthe seos, quae dicitur, signis inclusit. Deinde *summos vertices* interpretatur summa capita clavorum. Sensum autem loci ipse hisce verbis constituit. 'Licet in utroque litore villas nobilissimas aedifices, omniumque sis ditissimus; non eo pacto aut vitam a metu immunem agere, aut mortem effugere poteris: sic rerum fato constitutum est, ita natura comparatum, sic clavos figit necessitas summis verticibus, ut nulla vi evelli possint."

Nos quidem non ii sumus, qui coronam capiti tanti viri, quantum Britannia, quod saltem attinet ad artem criticam, vix tulit alterum, haerentem detrahere conemur, qui ex animo et suspiciamus et admiremur summum Criticum: tamen aperte atque ingenue fatemur, nobis neque placere correctionem vulgatae scripturae, neque interpretandi rationem, quam iniit Bentleius. Et omnino dolendum est, quod Bentleius plane singulari, qua valebat, sagacitate et critica facultate inductus non raro coniecturis sollicitavit, quae loco suo movenda non erant. Prorsus igitur displicet, quam reposuit, particula *sic*, propterea quod plane alienam sententiam infert.

Multo etiam minus assentiri possumus explanationi vocabulorum: *summos vertices*. Nam licet concedamus, vertices idem significare, quod capita: tamen nostro loco hanc significationem convenire pernegamus. Inest nescio quid languidi atque frigidi a sententia Horatiana alieni. Tum maior difficultas movetur eo, quod desideratur res aliqua vel locus, cui Necessitas clavos suos adamantinos infigat. Nam tale quid necessario cogitandum est. Denique subdubito, an casus sextus simpliciter positus commode usurpari possit pro: usque ad summos vertices.

Mitscherlichius, quem de odis Horatianis accuratius illustrandis nostra memoria optime meritum esse, inter omnes constat, non acquiescendum putavit in priorum interpretum cura et studio, ac repudiatis, quae ab aliis ad locum difficilem et intricatum expediendum tentata fuerant, verba Horatiana ita enodare conatus est. "Qui Necessitatis Fati violentiam experitur, in quo vim suam exserit, hunc clavis adigit, iis fixum tenet, ut ne elabi queat, idque summis verticibus, in summo vertice eos defigendo." At salva viri doctissimi existimatione atque eruditione, equidem non video, quid lucremur, si hanc interpretationem sequamur: nam eadem fere est ac priorum interpretum In eo tantum discedit ab illis, quod symbolica ratione et ex prisci sermonis indole illa vocabula accipienda esse putat.

Doeringius, Mitscherlichii, nisi fallor, exemplum et auctoritatem secutus, eadem propemodum ratione locum nostrum explanavit. „Cum his igitur, clavis inquit, Necessitas apparet apud divites morti destinatos fixisque illis in summis eorum verticibus mori eos adigit" Quam interpretationem non prorsus nobis placere posse, ex iis, quae ante dicta sunt, apparet.

Bothius in annotatione ad repetitam in Germania editionem Horatii, quam Fea Romanus, homo patriae antiquitatis omnis scientissimus, curavit, paucis locum nostrum hoc modo explicare instituit. "Ei, quem compellare se fingit poëta, diviti et avaro, sperandum non esse unquam dicit liberum metu periculorum ac mortis animum, cum etiam summis verticibus, id est capitibus seu viris clavos suos firmissimos Necessitas fati adigat, quem ad modum cuneis affixus Caucaso dicitur Prometheus, nec semel Carthaginiensium duces in crucem acti sunt." Perpaucos, puto, inveniet haec interpretandi ratio, quibus placeat et probetur. Nam de verticibus sensu proprio

vix commode cogitari posse, ante iam diximus. Deinde non satis video, quid faciat Prometheus Caucaso affixus ad locum nostrum illustrandum; sed plane coniectura assequi non possum, quo pacto ad verba obscura explicanda potuerit afferre exemplum ducum Carthaginiensium non semel in crucem actorum.

Ex iis, qui Germanicum in sermonem transtulerunt carmina Venusini vatis, duos commemorasse satis erit, Ramlerum et Vossium, quorum prior locum nostrum ita interpretatus est:

Fasset einmal des Schicksals Hand
Bei der Scheitel dich an mit diamantnen Klau'n.

Vossius autem:

Wenn demantne Nägel dir
Hoch am Giebel einmal heftete grauser Zwang.

Neutram interpretationem probabilem esse, ex iis, quae ante dicta sunt, facile intelligitur.

His igitur priorum interpretum loco obscuro lucem afferendi periculis enumeratis, reliquum est, ut aliam circumspiciamus viam, qua tolerabiliorem sententiam invenire possimus. Ac mihi quidem verba Horatiana accuratius consideranti duplex ratio occurrit, qua fortasse (pro certo enim dicere non ausim) impedito loco subveniri possit. Nam possint primum *summi vertices* per metonymiam accipi de ipsis hominibus, dignitate, auctoritate, opibus et omni fortuna ita excellentibus et conspicuis, ut prae ceteris emineant et longe maximi dicantur atque habeantur. Tum sententia illius loci esset: quamvis divitiis ita affluas, ut superstructionum molibus occupare possis magnam et superi (Apulici) et inferi (Tyrrheni) maris partim, tamen non liberum servabis animum a mortis metu vitamque eripies moriendi conditioni, quum fatalis necessitas ne iis quidem parcere soleat, quicunque mortalium sunt longe ditissimi, opulentissimi ac potentissimi. Haec vero sententia, nisi omnia me fallunt, bene quadrat in nostrum locum, ubi poëta hominem avarum eundemque divitiis abundantem alloquitur atque hortatur, ut ne nimis fidat opibus suis, quippe quae ipsum non possint a moriendi necessitate vindicare.

Deinde possit alicui in mentem venire, summos vertices interpretari aquarum vertices s. vortices, i. e. fluctus marinos montium instar erectos. Nam *vertex* et *vortex* est eiusdem originis vocabulum et proprie de aqua in se contorta ponebatur[7]); deinde propter flexum capillorum pars humani capitis summa ita dicebatur. Hanc significationem si tenere velimus, locus ita explanandus esset: licet sis omnium ditissimus et in ipso mari tibi exstruas aedificia, in quibus tutus lateas: tamen nec in illo recessu vitabis moriendi necessitatem, si quidem Necessitas vel terribilem fluctuum maris vim domare atque infringere valeat. Quanta enim sit fluctuum vis et impotentia non est, quod pluribus demonstretur Nisi omnino probanda, certe nec prorsus repudianda erit haec interpretatio. Bene etiam cohaeret cum verbis, quae proxime antecedunt. Utra autem ratio vera sit, decernere non audeo.

Denique ad tertiam interpretationem confugere possimus. Dicuntur enim vertices etiam extremae illae partes mundi, quas vulgo appellant polos. Ita leguntur apud *Cic. N. D.* II, 41. ex latina interpretatione Graeci carminis, quod Aratum habet auctorem: *Extremusque adeo duplici de cardine vertex dicitur esse polus. Plin. H. N.* II., 15, s. 13. *Quoniam terra a verticibus duobus, quos appellaverunt cet.* Virg. Georg. I, 243. *Hic vertex nobis semper sublimis.* Dicit autem poëta polum antarcticum, quem vocant. Ergo quum dubium non sit, vertices significare etiam posse polos illos, quos mathematici cogitatione fingunt, quid? si nostro loco eandem notionem teneamus et sensum verborum hoc modo constituamus: Licet, tu o Romane, divitiis omnibusque copiis ita abundes, ut possis te abdere in sumtuosissimas villas in ipso mari excitatas, tamen nihil tibi proderunt ista bona fortunae, neque effugies moriendi necessitatem omnibus mortalibus propositam, quum tanta sit fatalis necessitatis vis ac potentia, ut quaecunque continentur extremis orbis terrarum finibus, domare valeat et subiecta sibi teneat. Hoc modo si explanamus nostrum locum, bene se habere videtur sententia Horatii, haud obscure monentis, opulentissimos pariter ac pauperes obnoxios esse morti.[8])

---

7) Quintil. Inst. Orat. VIII, 2, 7.
8) Vid. locos, quos not. 4. enumeravimus.

Necessitas autem, id quod ante iam diximus, cogitanda est Mortis comes; Mors tamen ipsa venatoris more retia secum gestat plagasque ac mortales iniectis laqueis capere laborat. Unde etiam nostro loco eidem tribuuntur laquei, quibus ne ditissimi quidem caput expedire possint. Quae quidem imago frequentata est orientalium terrarum poëtis.

Haec quidem dicta sunt de loco illo Horatiano illustrando: eum paulo impeditiorem esse atque explicatu difficilem, nemo non videbit. Unde etiam non mirum, quod haud contemnendus carminum Horatianorum interpres, *Philip Francis*, Anglus,[9]) ad nostrum locum haec adscripsit: "We may say with Cicero: Quaenam harum opinionum sit falsa, magna est quaestio: quaenam sit vera, Deus aliquis viderit.“ Si forte nobis contigerit, paulo commodiorem interpretationem in medium protulisse, laetabimur; sin erraverimus; facile, credo, ab aequis harum rerum iudicibus erroris veniam impetrabimus.

Nunc veniendum est ad id, quod huic libello scribendo opportunitatem dedit, paucisque indicandum, cuius rei causa illa qualiacunque praefati simus. Nam nonnulli eorum iuvenum, qui adhuc Joannei Hamburgensis disciplina non sine fructu et laude usi sunt, ad altiora studia in academia colenda transituri, prius quam ex scholae nostrae umbraculis discedant, coram viris, quorum id scire maxime interest, progressuum in optimis literis artibusque factorum explorationem subire cupiunt. Cui spectationi sollemni ut omnes, qui studiis nostris favent, frequentes adesse et aequos disciplinae nostrae alumnis se praebere velint iudices, omni qua par est humanitate atque observantia rogamus invitatosque volumus.

---

9) A Poetical Translation of the Works of Horace; with the Original Text and Notes collected from the best Latin and French Commentators on the Author by Philip Francis, in four Volumes, the second Edition. London, 1747, 8.